



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Extrae Angelos, Fide certum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

que ita rectè se habeat ad finem suum ultimum consequendum.

DISSERTATIO PRAELIMINARIS

DE

Statu Naturæ Angelicæ & Innocentis.

2. **I**nter cetera Dei Creatoris opera facilè præstantissima fuere Angelica, atque innocens hominis natura, quarum idcirco prerogativas hic præliminariè considerare juvat, tum ut profusam & immensam Optimi Conditoris erga creaturas racionales liberalitatem ampliùs admiremur, tum ut funestas peccati, quæ ex eodem nascuntur, calamitates & miserias facilius intelligamus. Quo utroque posito non habebunt *Theistæ*, cur vel justitiam divinam arguant, vel scelus elevent à creatura rationali admissum.

CAPUT I.

De Statu Naturæ Angelicæ.

3. **E**xtare Angelos Fide certum est. Testes sunt S. Exi. stunt Ange. li. Scripturæ, tam Veteres, quàm Novæ. Sic *Gen. 19. v. 1. Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus civitatis. Et Gen. 16. v. 7. Cumque invenisset eam (Agarem ancillam Abrahæ) Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine. Item Gen. 24. v. 7. Ipse mittet Angelum suum coram te. In N. T. Matth. 15. v. 11. Tunc reliquit eum (Christum) diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.*
Et

NATURAE ANGELICAE. 3

Et c. 18. v. 10. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Angelorum etiam meminerunt Poëtæ, & Philosophi gentiles, veluti *Hesiodus* in L. 1. operum. *Plato* in *Timæo*, ubi illos nunc *δαίμονας*, nunc *θεοὶ* appellat. Ut adeo crassus admodum fuerit *Sadducaorum* error, qui teste S. LUCA *Act.* 23. dicebant, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.* Atque eo insaniam prolapsos esse *Sadducæos* mireris, qui tamen quinque *Mosis* Libros, ut Veteres adfirmant, recipiebant. Quamvis autem ex Sacris Paginis certa sit Angelorum existentia; hæc tamen ratione naturali nequit demonstrari: non à priori, nam ratio, cur existant, est voluntas Dei libera; non à posteriori, quia omnes illorum effectus aut ipsi Deo attribui, aut animabus separatis virtute speciali divinitus instructis vindicari absolutè possent.

α) Ἄγγελος græcè, latinè *nuncius*: unde *Angelus*, ut loquitur S. AUGUSTINUS *Serm.* 1. in *Ps.* 10 *officii nomen est, non naturæ.* Secundum rem Angelus designat substantiam quamdam intellectivam, quæ media est Deum inter & homines, & ab his specie distincta. Discrepat ab anima rationali; quia hæc à Deo ordinata est, ut una cum corpore totum aliquod physicum constituat. Non extitisse Angelos ante mundum conditum, satis colligitur ex illo *Gen.* 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram, ubi τὸ πρῶτον idem sonat, ac ante omnia.* Videntur autem creati esse primâ statim die, & collocati in cœlo quodam superiore, juxta illud *Isa.* 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* Fuere tamen ex Patribus, qui Angelos ante hunc Mundum à Deo conditos dicerent; ut adeo sententia opposita, teste PETAVIO, de Fide non sit.